



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Omnia pro Religione molitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

toris adoriri domum molirentur, & tamquam importuni calumniatoris inuadere. E contrario Canisius non suam, sed aduersarij vicem dolens, excusare hominis factum, benigneque interpretari, sincero mulcere studio indignantium iras. Denique tantum adnisus est, ut eum ab multitudine irata defendereret. Fuerunt hi carbones exigne, quæ Christus è Cœlo delatum, accendi, propagari que cupiebat in terris: qui Criminatoris illius in caput congesti frigidū cor incenderunt. Agnouit pius erga se religiosæ lenitatis officium; multoq; quā antea vñquam cum Canisio se & voluntate & familiari quoque vsu coniunxit.

Is autem non in ea modò, quæ diximus, publicè, sed priuatim omni ope in communes omnium, ac singulorum se se diuidebat utilitates. Idem carcere vincit is consolationem, & opem afferre, idem solatia ægrotis præbere animorum, & corporum, idem reconciliandis inter se dissidentibus operam impertire, ut nihil tale Ingolstadij aliquando extitisse quisquam recordaretur. Quin etiam, quoniam pastorum populi summa erat inopia, prouide stipe luculentam collegit, unde studiosi literarum pauperes, qui olim suffici-

*Omnia pro  
Religione  
molitur.*

H possent,

possent, leuarentur. Quanquam deplorabat eo redactam rem, vt ne propositis quidem præmiis ac stipendiis ad sacra Theologiae studia compelli iuuentus posset. Vsque adeò diuina viluerant.

*Academie  
fit Rector.*

*Optimeque  
munus gerit.*

Ecce autem tot laboribus presso nouus labor accedit, Rector ipsius Academiæ creature. Per inuitus suscepit id munera, tum quia indignum se imparemque censebat, tum quia verebatur ne non satis cum societatis disciplina congrueret. Sic tamē administravit; vt multa esset materia laudes, gratiasque agendi bonorum auctori, ac fonti Deo. Fatebatur vulgo palam studiosos in eo magistratu egisse multo, quam soliti essent, modestius. Communis fuit tranquillitas etiam tum, cum tumultuandi impune, debacchandique licentiam dare videtur inueterata consuetudo feriis ante magnum ieuñium. Notandos, qui extabat, Hæreticorum libros curauit: ne venderentur edixit: ne in posterum inferrentur cauit; qui quidem Grammaticis etiam, Rheticisque, & Dialecticis monumentis præsentia venena insperserant. Quæ altis fixæ radicibus vitiosæ consuetudines placi de, subitoque obliterari nequibant, eas collegit omnes in commentarium, misitque ad ipsa totius

*annoq.*

*H*

*Acade-*